

Guiscard filium, Siciliæ Regem, instruxere. Is Hidrun-
tino portu profectus cum valido exercitu in Corcyram in-
sulam venerat, quæ Hadriatici maris confinium est & Io-
nii. Ea Rogerius armis potitus, in Peloponnesum transmi-
fit: ubi circa Maleæ promontorium, inter Argolicum La-
conicumque sinum, multa hostiliter gessit. Inde classe in
Saronicum sinum delatus, circa Cencreas Corinthiacum
navale, circumiectum agrum ferro ignique fœde popula-
tus est. Progressus inde, quia neminem interea obvium
habuit, ad Isthmum (quem hodie vulgus *Heximilon* vo-
cat) terrore & populationibus omnem Achajam comple-
vit. Thebas quoque bello captas diripuit, ubi crudelissimam
in quærendo auro exercuisse dicitur avaritiam. Demum ne-
que Euboës fines, neque eam Boetiæ oram, quam Phoci-
dem vocant, inviolatam reliquit. Præsenti itaque rerum
succesu elatus Rogerius, ex purpuratis unum cum sexagin-
ta longarum navium classe, per Hellespontum ad Bospho-
rum usque Thracium misit: estque res ita impigre a Siculis
circa Byzantium gesta, ut ædificia urbi contigua ardentium
fagittarum jactu, ab iis qui in navibus erant, missarum
conflagrasse dicantur. Rebus imperii in hunc modum ac-
cisis, Emanuel ad Venetorum opes per legatos confugerat:
a quibus jute vetustæ amicitia petere non dubitavit, ut re-
bus suis afflictis succurrerent: aut si fero id petitum esset,
acceptam ulciscerentur injuriam. Valida itaque classis de-
creta est: qua in portum deducta, Polanus Princeps confe-
stum in hostes movit, revocatis prius publico decreto ali-
quot longis navibus, quæ tum foris erant. Sed quando illæ
domo profectæ essent, scriptores quos vidimus non tradunt:
puto eas fuisse, quas ad tuendam Syriæ oram Veneti se per-
petuo circum loca ipsa habituros Baldoino, ut quidam tra-
dunt, ab initio polliciti erant. Interim classis, quæ nuper
Venetiis deducta erat, aliquantis per tempestate jactata, Ca-
prulanum portum in Carnorum ora tenuit. Hic adversa va-
letudine quum Polanus laborare cœpisset, atque in dies ma-
gis gravante morbo, cerneret haud tam cito se convallitum,
Joanne fratre & Rainerio filio classi præfectis, Venetas est